

gitur ex cap. Placuit, et cap. Qui apud, de Consecrat., dist. 4, ubi dicitur, infantes, etiam si ab hæreticis baptizentur, non ideo manere irregulares; per quæ jura explicandum est citatum caput Qui in qualibet, ubi sermo est tam de baptizatis, quam de rebaptizatis extra Ecclesiam. Si ergo illa lex non comprehendit infantes baptizatos ab hæreticis, neque etiam comprehendit rebaptizatos; cum ergo dicit: *In qualibet ætate*, intelligendum est de ætate adulta, in qua jam homo possit ratione uti. Unde ulterius fit, etiam esse interpretandam hanc legem de iis, qui scienter et voluntarie rebaptizantur; nam, si requiritur adulta ætas, solum est, ut homo sit capax culpæ et propriæ voluntatis. Item, si excluduntur infantes, ideo est, quia excusantur a culpa; ergo idem erit etiam de adulto, quacumque ratione a peccato excusetur.

20. Tandem hæc irregularitas, etiam respectu rebaptizati, imposita est in pœnam, et non ob aliquam specialem indecentiam, aut significationem; alias etiam infantibus esset imposita; ergo, si ignorantia talis est, quæ excuset a culpa, excusat etiam a pœna. Sed dicunt Richard., Palud., Antonin., Sylvest., et alii, licet hoc sit probabile, tutius tamen esse dispensationem ab Episcopo petere; sed certe, si propter dubium dispensatio petenda est, ab eo est petenda, qui habet potestatem dispensandi in hac irregularitate. Solus autem Papa potest cum rebaptizato dispensare, sicut et cum rebaptizante. Re tamen vera non est necessarium, talem dispensationem petere; nam res tam clara videtur, ut nullum possit practicum dubium generare.

21. Quin potius addo contra eosdem auctores ultimo loco citatos, etiamsi rebaptizatus postea sciat, quid circa illum actum sit, et ratum habeat, ac consentiat, non manere irregularem, quia hujusmodi consensus non facit priorem actionem, vel potius passionem, voluntariam aut culpabilem, sed est novum peccatum, vel internum, vel etiam externum, cui nulla est irregularitas in jure imposita. Sicut, si quis casu et omnino sine culpa occi-

deret hominem, nec tunc fieret irregularis, nec postea, etiam si, viso effectu, gauderet, quia illud gaudium non est propriè voluntarium homicidium, cui est irregularitas injecta; sic ergo est in præsentibus. Sed quæres, an idem dicendum sit de eo, qui per vim et metum rebaptizatur. Sylvester, verbo Irregularitas, num. 4, ex Innocen. in cap. Eos quos, de Consecr., dist. 4, respondet, si fuit absoluta coactio, non manere irregularem; secus vero, si fuit tantum conditionata seu per metum; quæ fuit etiam opinio Glossæ in dict. cap. Eos quos. Ego vero dicerem, si ille habeat intentionem, ut rebaptizetur, revera manere irregularem, quia ad hanc intentionem cogi nullo modo potest, neque ipse debet voluntarie illam adhibere; alias graviter peccat peccato rebaptizationis et ideo irregularis manet. Si vero talem intentionem non adhibeat, sive per absolutam vim, sive per solum metum cogatur ad exteriorem receptionem ablutionis, non manebit irregularis. Imo, si metus sit gravis, nihil peccabit non resistendo, dummodo nec exterius significet se consentire, quia in reliquo nihil operatur, sed patitur potius. Quod recte potest a simili confirmari ex cap. Constat, 1, quæst. 1. Sed potest inde sumi argumentum contra priorem partem hujus responsionis; ibi enim dicitur, eos, qui inviti ordinantur ab hæreticis, non manere irregulares, quod est verum, etiam si illi habuerint intentionem recipiendi ordinem. Respondetur esse disparem rationem, nam ille non tenetur non habere intentionem, supposito quod minister sit sufficiens et essentialia adhibeat, quia ipse est capax talis sacramenti; sicut, qui invitatus baptizaretur ab hæretico, posset sine culpa habere intentionem, quia est capax; secus est de rebaptizato, quia est incapax. Ultimo dubitari potest, an hæc irregularitas extendenda sit ad iterantem sacramentum confirmationis, sed de hoc dicemus in disputatione morali de illo sacramento, cujus tractationem aggredimur. Nam de sacramento baptismi satis disputatum est.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA SECUNDA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

*Consequenter considerandum est de sacramento confirmationis.*

Et circa hoc quærentur duodecim.

1. *Utrum confirmatio sit sacramentum,*
2. *De materia ejus.*
3. *Utrum sit de necessitate sacramenti, quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum.*
4. *De forma ipsius.*
5. *Utrum imprimat characterem.*
6. *Utrum character confirmationis præsupponat characterem baptismalem.*
7. *Utrum conferat gratiam.*
8. *Cui competat recipere hoc sacramentum.*
9. *In qua parte.*
10. *Utrum requiratur aliquis, qui teneat confirmandum.*
11. *Utrum hoc sacramentum per solos Episcopos detur.*
12. *De ritu ejus.*

*Quare sacramentum confirmationis sit ordine secundum.* — Post tractationem de sacramento baptismi D. Thom. et Magist. cum cæteris Theologis in 4, dist. 7, de confirmatione disputant, secundum ei locum in ordine sacramentorum tribuentes, non tam dignitatis, aut necessitatis, quam temporis et generationis ordinem considerantes. Sacramentum enim confirmationis proxime post baptismum tradendum est, ut antiqua etiam Ecclesiæ consuetudine fuit observatum; nam licet interdum Patres significant, Eucharistiam solitam esse dari immediate post baptismum, ut ex Hier., Dialog. contra Luciferianos; et ex Ambr., lib. de His qui initiantur, cap. 7 et August., epist. 23, sumitur, id tamen, per se loquendo, intelligendum est post sacramentum confirmationis, quod post baptismum statim conferebatur, ut esset veluti perfectio et consummatio ejus, ut ex eodem Ambr. eodem lib. de Mysteriis, cap. 7,

in fine, et lib. 3 de Sacram., cap. 1 et 2, constat, et ex Dionys., cap. 2 de Eccles. Hierarch. dicente: *Hierarcha, cum virum unguento, quod maxime divinos efficit, insignivit, Eucharistiæ, quæ vim maximam habet perficiendæ sanctitatis, participem esse pronuntiat.* Idem tradit Cyrill. Hierosol., Catechesi 3 Mystagogica, et alii infra referendi. Unde Eugenius Papa in decreto fidei: *Per baptismum, inquit, spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divinæ Eucharistiæ alimonia.* Præcedit ergo confirmatio Eucharistiam. Atque hoc sensu accipiendum est, quod ait Melchisedes Papa, epist. ad Episcopos Hispaniæ, cap. 3: *Ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta (agit de baptismo et confirmatione) ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non potest.* Quod enim ait, *rite*, intelligendum est, id est convenienter, et cum consummata hominis perfectione. Hinc denique Rabanus, lib. 4 de Instit. Cleric., cap. 28, dicit, caeremonialem unctionem chrisomatis, quæ post baptismum fit in vertice, ideo esse ab Ecclesia introductam, quia non semper poterat adesse Episcopus, qui sacramentum confirmationis daret. Est itaque hoc sacramentum generatione, seu ordine, et usu secundum; et ideo, et secundo loco numeratur, et eodem ordine de eo disputatio instituitur, quamvis a nonnullis auctoribus propter speciales causas interdum hic ordo immutetur, ut sequenti quæst. in initio disputationum de Eucharistia notabimus.

ARTICULUS I.

*Utrum confirmatio sit sacramentum (sup. quæst. 65, art. 1; et 4, dist. 2, quæst. 1, art. 2, corp., et dist. 7, quæst. 1 per tot.; et 4 con., cap. 58).*

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod confirmatio non sit sacramentum. Sacramenta*

enim ex divina institutione efficaciam habent, sicut supra dictum est (q. 64, art. 2). Sed confirmatio non legitur a Christo instituta. Ergo non est sacramentum.

2. Præterea, sacramenta novæ legis in veteri lege præfigurata fuerunt, unde Apostolus dicit 1 Cor. 10, quod omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Sed confirmatio non fuit præfigurata in veteri testamento. Non ergo est sacramentum.

3. Præterea, sacramenta ordinantur ad hominum salutem. Sed sine confirmatione potest esse salus, nam pueri baptizati, sine confirmatione decedentes, salvantur. Ergo confirmatio non est sacramentum.

4. Præterea, per omnia sacramenta Ecclesiæ, homo Christo conformatur, qui est sacramentorum auctor. Sed per confirmationem non videtur homo Christo conformari, qui non legitur esse confirmatus. Ergo confirmatio non est sacramentum.

Sed contra est, quod Melchides Papa scribit Hispaniarum Episcopis (habetur de Consecr., dist. 5, cap. 3 De his, et est parum ante med. illius ep., tom. 1 Concil.): De his, super quibus rogastis vos informari, utrum majus sit sacramentum, manus impositio Episcoporum, an baptismus, scitote utrumque magnum esse sacramentum.

Respondeo dicendum, quod sacramenta novæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus; et ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia vero sensibilia et corporalia gerunt spiritualium et intelligibilium similitudinem, ex his, quæ in vita corporali aguntur, percipere possumus, quid in spirituali vita gratiæ speciale existat. Manifestum autem est, quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectam ætatem perveniat et perfectas actiones hominis agere possit. Unde et Apostolus dicit 1 Cor. 13: Cum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Et inde est etiam quod, præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur et vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio. In confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Unde Melchides P. dicit (in epist. ad Hispaniarum

Episc., in med. illius, tom. 1 Concil.): Spiritus Sanctus, qui super aquam baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Et ideo manifestum est, quod confirmatio est speciale sacramentum.

Ad 1 ergo dicendum, quod circa institutionem hujus sacramenti est duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod hoc sacramentum non fuit institutum nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio. Alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis. Sed hoc non potest esse, quia instituere novum sacramentum, pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo.

Et ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joan. 16: Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, secundum illud Joan. 7: Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

Ad 2, dicendum, quod, quia confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri testamento, quia nihil ad perfectum adduxit lex, ut dicitur Hebr. 7.

Ad 3, dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. 65, art. 4, ad 3 argum.), omnia sacramenta sunt aequaliter necessaria ad salutem, sed quædam sunt, sine quibus non est salus, quædam vero sunt, quæ cooperantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu sacramenti.

Ad 4, dicendum, quod illi qui confirmationem accipiunt, quæ est sacramentum plenitudinis gratiæ, Christo conformantur, in quantum ipse a primo instanti suæ conceptionis fuit plenus gratiæ et veritatis, ut dicitur Joan. 1. Quæ quidem plenitudo declarata est in baptismo, quando Spiritus Sanctus descendit corporali specie super eum. Unde et Luc. 4 dicitur, quod Jesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane. Non autem conveniebat dignitati Christi (qui est sacramentorum

auctor) ut a sacramento plenitudinem gratiæ acciperet.

## COMMENTARIUS.

1. Duo definit D. Thom. in hoc art., quæ a nobis in sequente disputatione late sunt tractanda et confirmanda. Primum est in corpore art., confirmationem esse speciale sacramentum, quod, præter auctoritatem Melchidis Papæ, quam adducit in argumento Sed contra, solum declarat quadam congruentia et proportionem ad corporis viventis generationem et augmentum, quibus dicit in spiritualibus comparari baptismum et confirmationem, de qua proportione satis dictum est supra, quæst. 65, art. 1. Secundum est in solut. ad 1, confirmationem fuisse a Christo Domino institutam, quæ assertio sequitur ex præcedente, suppositis principiis traditis de institutione sacramentorum novæ legis in genere. Addit tamen D. Thom. Christum instituisse hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, juxta illud Joan. 16: Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et Luc. 24: Ego mittam promissum Patris mei in vos. Et Joan. 14 et 15: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, etc., juxta quam interpretationem significat D. Thom., quamvis hæc promissio ad litteram intelligenda sit de celebri illa ac visibili missione, qua Spiritus Sanctus in die Pentecostes in Apostolos missus est, juxta id, quod statim subdit Lucas: Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto, et Actor. 1: Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies; non tamen esse limitandam ad illam missionem, sed extendendam ad omnium fidelium confirmationem, et ad specialem Spiritus Sancti missionem, quæ in ea fit, sive visibiliter, ut olim, sive invisibiliter, ut modo, fiat; nam illi effectus, propter quos Christus Apostolis Spiritum Sanctum promisit, semper sunt in Ecclesia necessarii, et proportione servata, in omnibus fidelibus locum habent, ut facile constabit prædicta Joannis capita consideranti. Unde Melchides Papa, epist. ad Episcopos Hispaniæ, cap. 2, promissionem a Deo factam Joelis 2: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, quam Petrus Actor. 2, de adventu Spiritus Sancti in die Pentecostes explicuit, declarat ipse de missione etiam, quæ fit in hoc sacramento, indicans non esse unam ab altera sejungendam. Unde inferius

ad explicandum fructum hujus sacramenti utitur illis verbis, Joan. 16: Cum venerit Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnem veritatem, subjungens: Vides, quoniam, cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.

2. Est autem ulterius in hac D. Thomæ doctrina considerandum, cum ait Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, non esse intelligendum, Christum ante ascensum in cælum, nihil præter Spiritus Sancti promissionem de hoc sacramento Apostolis tradidisse, nam hoc solum sine dubio ad institutionem sacramenti non fuisset sufficiens, nam illa promissio esse ab omni sacramento abstrahit, nec determinat modum talis adventus, seu missionis Spiritus Sancti. Igitur Christus Dominus non sola promissione, sed etiam instructione (ut latius infra dicam) hoc sacramentum instituit, ritum illius Apostolos docens, et usum præcipiens. Neque D. Thom. hoc excludit, sed solum significare voluit, ita instituisse Christum hoc sacramentum pro tempore futuro, pro quo Spiritum Sanctum promittebat, ut ante adventum ejus noluerit usum illius exerceri, et hoc declarat ratione, quam subjungit, quia Spiritus Sancti plenitudo, quæ est effectus hujus sacramenti, non erat danda, antequam Christus esset glorificatus, ut Joan. 7 dicitur. Atque ob similem rationem addit D. Thom. in solution. ad 2, in veteri lege non præcessisse propriam figuram hujus sacramenti, quia nihil ad perfectum adduxit lex; in hoc autem sacramento plenitudo ac perfectio Spiritus Sancti datur; idemque docuerat supra, q. 65, art. 1, ad 4. Addit vero in 4, dist. 7, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, ad 3, aliquo modo fuisse hoc sacramentum adumbratum in unctione Pontificum, qua significabatur unctio Christi, a qua hæc unctio derivatur. Quod significasse videtur Cyprian., serm. de Unctione chrismatis dicens: A facie novi olei desiccatae sunt unctiones antiquæ; et inferius, oleum Eliæ et Elisei, et antiquas fere omnes mysticas unctiones in figuram hujus sacræ unctionis adducit. Sed hæc potius sunt accommodationes quædam, quam propriæ figuræ.

3. In solution. ad 3, indicat D. Thom. quæstionem de necessitate hujus sacramenti; sed, si sit sermo de necessitate medii, res est extra controversiam, esse quidem hoc sacramentum valde utile ad salutem; atque hoc sensu dici posse necessarium ad melius esse; simpliciter tamen non esse necessarium, quia non est

per se institutum ad tollendum peccatum et sine illo possunt homines salvari. Atque hoc sensu accipiendum est, quod Melchisedes P. loco citat. dicit: *In baptismo abluimur, post baptismum roboramur; at si continuo transi- turis sufficiant regenerationis beneficia, vic- turis tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat, mox in pace beati sæculi recipiendos; confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos.* Ad hunc ergo finem dixit esse necessariam confirmationem, non simpliciter, sed ad melius esse; id est maxime utilem. Si autem sit sermo de neces- sitate præcepti, habet hoc specialem diffi- cultatem infra tractandam in disputatione morali. Solutio ad quartam non indiget expli- catione.

## DISPUTATIO XXXII,

## ET PRIMA DE CONFIRMATIONE.

## DE INSTITUTIONE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Quamvis doctrina de hoc sacramento bre- vior sit, quam aliorum, nihilominus in illa tradenda eandem dicendi methodum tenebi- mus, probando prius dari hoc sacramentum a cæteris distinctum; postea essentiam, cau- sas, effectus et proprietates ejus declarando. In hac ergo disputatione definiemus quæstio- nem, an sit hoc sacramentum, et consequenter ejus institutionem, ex qua illius esse pendet.

## SECTIO I.

Utrum confirmatio sit verum ac perfectum novæ legis sacramentum.

4. *Error Novati. — Waldenses. — Rutheni. — Lutherus. — Calvinus.* — Ratio dubitandi esse potest primo, quia in Scriptura nulla fit hujus sacramenti mentio. Secundo, quia nulla est illius necessitas, nam baptismus sufficit ad spiritualem vitam præstandam; Eucharistia ad augendam, nutriendam et conservandam. Propter hæc multi hæretici ausi sunt sacra- mentum hoc negare ac contemnere, quorum parens videtur fuisse Novatus; sic enim de illo scribit Theodor., lib. 3 Hæreticarum fa- bularum, cap. pen.: *Iis qui ab ipsis (scilicet Novatianis) tinguntur, sacrum chrisma non præbent; quocirca eos etiam, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ junguntur, benedicti Pa-*

*tres ungi jusserunt.* Hunc errorem secuti sunt Waldenses, ut refert Aeneas Sylvius, de Ori- gine Bohemorum, cap. 35. Item Flagellantes, apud Sanderum, lib. 7 de Visibili Monarchia Ecclesiæ, hæres. 463. Item Pauperes de Lug- duno, Rutheni, Lutherus, Calvinus et reliqui novi sectarii, ut videri licet apud Prateolam sub eorum nominibus, et Lindanum, lib. 4 Panopliæ, a c. 26; Ruardum, art. 42; Bellarm., lib. de Confirmatione, et alios, qui hoc tem- pore contra hæreticos scripserunt.

2. *Esse confirmationis sacramentum distinc- tum ab aliis, de fide est. — Conclusio prima probatur auctoritatibus Scripturæ. — Joan. 14.* — Dicendum vero est, in lege gratiæ esse quoddam sacramentum a baptismo et cæteris distinctum, ad diversum finem et effectum et sub diverso signo visibili institutum, quod a Patribus confirmatio appellatur, ab effectu; aut consignatio frontis, aut sacramentum chismaticis, ex materia; aut manus impositio Episcoporum. Res in hac conclusione contenta est de fide, quæ in primis ex sacra Scriptura colligenda est, sumendo imprimis id, quod in commentario articuli probatum est, Christum ita promississe Apostolis suis speciale Spiritus Sanctus donum et adventum ad eorum in- structionem, protectionem et singularem regi- men, ut non solum eorum personis, nec tan- tum fidelibus discipulis, qui cum eis tunc congregati erant, sed in eis universæ Eccle- siæ perpetuo duraturæ omnibusque fidelibus; hoc beneficium promiserit, juxta illud Joan. 14: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclætum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.* Hæc autem promissio, quam- vis in Apostolis singulari et extraordinario modo impleta sit, tamen oportuit, ut Christus in Ecclesia relinqueret definitum aliquem ac certum modum et viam, qua donum hoc, et effectus hujus promissionis, ad omnes et sin- gulos fideles, quadam ordinaria ac certa lege perveniret, quia alioqui nec posset nobis constare, quando, vel quomodo in nobis esset implenda hæc promissio; nec possent fideles uti aliquo certo medio ad hoc donum reci- piendum; et hac ratione fuit etiam maxime conveniens, ut hæc promissio aliquo certo sacramento et visibili signo impleretur, quo- modo Ecclesia Christi visibilis est, et corpora- les homines sub visibilibus signis melius spi- ritualia capiant. Unde etiam in ipsis Apostolis

non est hæc promissio impleta sine visibili signo, cujus vestigium seu participatio quæ- dam aliquo tempore in Ecclesia primitiva duravit; tamen quia illud extra legem et quasi miraculosum erat, magisque ad fundandam, quam ad conservandam et exercendam fidem expediens, ideo necessarium fuit institui aliud determinatum signum, per quod promissio illa in fidelibus impleretur; sicut ergo pro- missio illa determinata est et distincta a cæte- ris in fine et effectu, ita proprium requirit signum et sacramentum.

3. *Actor. 2.* — At enim dicit aliquis pro- missionem hanc in baptismo et per bap- tismum impleri. De illa enim loquens Pet., Act. 2, cum dixisset: *Hoc est quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, subdit inferius: Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti; vobis enim est repromissio et filiis ves- tris, et omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocarit Dominus Deus noster; docet ergo Petrus promissionem illam in baptismo im- pleri. Sed non est hæc conveniens hujus loci intelligentia; duo enim dona significat Petrus eis verbis nobis esse promissa, scilicet, remis- sionem peccatorum per baptismum, et speciale Spiritus Sancti donum post baptismum. Unde Chrysost., homil. 48 in Acta: *Non est idem (inquit) assequi remissionem peccatorum, et accipere virtutem illam, id est, Spiritum Sanctum; non ergo illa singularis Spiritus Sancti promissio per solum baptismum impletur, sed baptismus præmittendus est, ut in aliquo talis promissio possit impleri. Hanc autem esse veram hujus loci intelligentiam, ipse rerum usus et praxis satis ostendit. Nam imprimis Apostoli jam baptizati erant, quando Christus eis hoc speciale donum promisit, et quando in eis promissionem implevit die Pentecostes; et tamen per baptismum receperant proprium donum et effectum baptismi; ergo etiam nobis aliquid speciale promissum est ea promissio- ne, distinctum a dono baptismi. Deinde Samaritæ jam baptizati erant et donum bap- tismi acceperant; et nihilominus ad eos mit- tuntur Petrus et Joannes, ut Spiritum Sanctum acciperent; est ergo hæc Spiritus Sancti receptio distincta ab effectu baptismi; ante- cedens patet Act. 8, ubi non solum habemus Spiritus Sancti donationem et promissionem impletam, sed etiam signum visibile, per quod**

implebatur: *Miserunt (inquit) ad eos Petrum et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, non- dum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu, tunc imponebant manus super illos et accipie- bant Spiritum Sanctum.* Quod factum satis ostendit, Apostolos intellexisse, et hoc donum esse distinctum ab effectu baptismi; alias non tanta sollicitudine illud procurassent homini- bus jam baptizatis; et esse promissum a Christo sub tali cæremonia et signo visibili; alias non ausi essent illa uti, ut daretur Spiritus Sanctus.

4. Atque idem colligitur ex facto Pauli Act. 19, ubi invenit quosdam credentes baptizatos solo baptismo Joannis, quos prius fecit bap- tizari baptismo Christi; et postea Paulus impo- suit manus super eos, et datus est eis Spiritus Sanctus. Est ergo hæc promissio Spiritus Sancti distincta a promissione baptismi, et effectu ejus; et in nobis impletur, non abso- lute et simpliciter ex vi solius baptismi, nec sub conditione alicujus meriti vel solius inte- rioris dispositionis; nihil enim tale nobis tra- ditum est aut in Scriptura legitur; sed per visibile ministerium Ecclesiæ, ut ex dictis locis colligitur, et hoc est, quod nos appella- mus confirmationis sacramentum.

5. *Eludunt hæretici hoc argumentum primo. — Respondetur hæreticis.* — Hoc autem effi- cacissimum argumentum ex Scripturis de- sumptum duobus modis eludunt hæretici, ut referunt auctores supra citati: prior est, ne- gando illam manuum impositionem fuisse ad dandum aliquem effectum, vel donum ex opere operato; sed solum fuisse cæremoniam ab illis introductam in signum cujusdam ap- probationis; nam post baptismum, inquit, fideles præsentabantur Apostolis, vel Episco- pis, et ab eis examinabantur et instruebantur; illi vero, quasi approbantes eorum fidem, manus eis imponebant. Sed in primis hoc est hæreticorum inventum de suo capite absque fundamento, solum ad enervendam Scripturæ vim. Deinde est per se incredibile, Petrum et Joannem tanta cura fuisse missos Samariam, solum ut nudam quandam cæremoniam exer- cerent. Deinde repugnat verbis Scripturæ, ut patet ex illa causali: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* In hunc ergo finem, et non tantum propter externam cæ- remoniam, imponebant manus super illos; et ita statim consecutum est, quod subditur: *Et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quod paulo